

lis, neque illi inhæret. Suppositum dici nequit caput aut crus, quod a toto cane pendeant in suis operationibus.

II. *Suppositalitas* seu id quo fit, ut ali-
quid suppositum vocetur, dicitur etiam
vulgo *subsistētia*, & supposita subsistere
affirmantur; contra autem entia incomple-
ta, quæ supposita non sunt, subsistentia
propria prædicta esse negantur; ita caput,
pes animalis in se non subsistunt, sed in
animali, quod propria præditum est subsi-
stentia.

III. Alia sunt supposita rationabilia, alia
irrationabilia. Suppositum rationabile dicitur
persona, ita dicimus personas Divinas,
Angelicas, humanas, non vero personas
equinas, leoninas, sed supposita equina,
leonina. Persona igitur definitur supposi-
tum intelligens, seu ratione præditum; &
suppositum est substantia singularis quæcum-
que a quacumque alia divisa & separata,
nullique alteri addita. Sic gutta aquæ quan-
diu ab aliis aquæ partibus divisa manet,
est suppositum; est enim totum quoddam,
ipsique soli tribuuntur omnes effectus, qui
ab ea pendent, & omnes passiones quibus
afficitur: si autem eadem gutta ad aliam
accedat, ex utraque gutta exurgit novum
suppositum.

IV. Subsistētia non tollitur qualibet unio-
ne, sed ea solum, quæ impedit ne sub-
stantia singularis sit principium totale &
integrum suarum actionum, vel passionum.
Triplex *unio* esse potest, scilicet vel cum
substantia ignobiliori, vel cum substantia
æqualis perfectionis, vel cum substantia